

Audiens autem ihesus quoniam iohannes traditus est, recessit in galileam.

Cur recedit in galileam? Rursus erudiens nos, non ultro ire ad temptationes sed cedere et cessare. Non enim incusatio est, non proicere seipsum in periculum, sed cadentem non uiriliter stare. Hoc igitur docens et inuidam iudaicam mitigas recedit in capharnaum, simul quidem complens prophetiam, simul autem et didascalos orbis terrarum piscari studens. Quoniam illic morabuntur arte utentes. Tu autem michi intende qualiter ubique ad gentes abiturus, auideis accipit causam. Etenim hic cum insidiati essent, precursori et in uinculis inmisissent, impellunt ipsum ire ad galileam gentium. Quoniam enim neque aparte dicit gentem iudaicam, neque omnes enigmatische insinuat tribus, intende qualiter determinat uillam illam propheta ita dicens. Terra neptalim uia maris ultra iordanem, galileae gentium. Populus sedens in tenebris uidit lumen magnum. Tenebras hic non sensibiles uocans set et errorem et impietatem. Ideoque induxit. Sedentibus in regione et umbra mortis, lumen ortum est eis. Vt enim discas quoniam neque lumen neque tenebras sensibiles ait, de lumine disputans, non simpliciter lumen uocauit, sed lumen magnum, quod alias lumen uerum ait. Tenebras autem exponens, umbram mortis nominauit. Deinde monstrans, quod non ipsi querentes inuenerunt, sed deus ipsis desuper apparuit, ait, ipsum lumen ortum est et effulsit. Non ipsi prius ad lumen cucurrerunt. Etenim in ultimis humana erant ante christi presenciam. Neque enim ambulabant in tenebris sed sedebant in tenebris quod signum erat, neque sperandi eos liberari. Quemadmodum enim neque scientes ubi oportet progredi, ita comprehensi a tenebris sedebant, non iam potentes stare. Et tunc incepit ihesus predicare et dicere. Penitentiam agite aprouinquauit enim regnum celorum. Ex tunc quando? Ex quo inmissus est iohannes. Et propter quid non ex principio ipsis predicauit? Quid autem uniuersaliter iohanne indigebat, operum testimonio ipsum predicante? ut et hinc ipsius dignitatem discas, quod quemadmodum pater, ita et ipse propheta habet, quod et zacharias dixit. Et tu puer propheta altissimi uocaberis, et ut nullam inuerecundis iudeis causam derelinquat, quod et ipse posuit dicens. Venit iohannes, neque comedens neque bibens, et dicunt demonium habet. Venit filius hominis comedens et bibens, et dicunt ecce homo edax, et uini potator, amicus publicanorum et peccatorum, et iustificata est sapientia a filiis suis sed et aliter. Necessarium erat ab illo prius dici, que de ipso erant, et non ab ipso. Si enim et post tanta et tam magna testimonia et demonstraciones, dixerunt, tu testaris de teipso, testimonium tuum non est uerum, si neque dicente iohanne, procedens in medium ipse primus testatus esset, quod non utique dixissent. Propter hoc neque predicauit ante illum, neque miracula fecit, donec incidit in carcerem ille, ut non hac multitudo scinderetur. Propter hoc neque signum ullum fecit iohannes, ut et hinc carcerem et post carcerem, zelotipe ad ipsum habebant discipuli iohannis, et multi autem neque ipsum set iohannem suspicabantur esse ihesum, si nichil horum factum esset quid non utique contigisset, propterea et matheus designat, quoniam ex tunc incepit predicare. Et incipiens

Commented [EK1]: scilicet hic *add. super lin.*

Commented [EK2]: hic *add. super lin.*

Commented [EK3]: cum cadit *add. super lin.*

Commented [EK4]: hac *add. super lin.*

Commented [CN5]: [fol.44vb]

Commented [CN6]: malis *add. super lin.*

Commented [EK7]: in carcere *add. super lin.*

Commented [CN8]: [fol.45ra]

Commented [EK9]: uel ita predicatione *add. super lin.*

predicationem quam ille predicabat, hanc et ipse edocuit, et nichil nondum de seipso predicatio quam predicabat dicit. Etenim et hoc interim amabile erat, si susciperetur, quoniam nondum de seipso doxam id est opinionem habebant, propterea et incipiens, nichil graue et honorosum ait, uelut ille securim, et arborem incisam, et uentilabrum, et aeree, et ignis inextinguibilis memorans, sed benigna in proemiis hominibus dicit, et regnum quod illic est audientibus aeuangelizans. Et ambulans secus mare galilaeae, uidit duos fratres, simonem denominatum petrum et andream fratrem eius mittentes amfiblestron in mare. Erant enim piscatores. Venite post me, et faciam uos piscatores hominum. Hi autem relinquentes recia secuti sunt eum. Quamuis iohannes ait aliter eos uocatos fuisse, unde manifestum quod secunda hec uocacio fuit, multimode hoc utique aliquis cognoscet. Illic enim ait, quod nondum misso in carcerem iohanne aduenerunt. Hic autem postquam missus est ipse et illic quidem andreas uocat petrum, hic autem utrosque ihesus. Et iohannes quidem ait, quoniam uidens ihesus simonem uenientem dicit. Tu es simon filius iona, tu uocaberis cephas, quod interpretatur petrus. Matheus autem ait, quoniam iam hoc uocatus erat nomine. Videns enim dicit simonem petrum, et a loco autem unde uocati sunt, et multipliciter aliunde utique aliquis hoc cognoscet, et hoc quod facile obediunt, et ex hoc quod omnia relinquunt. Iam enim erant bene pereruditi. Illic quidem in domum apparet andreas ueniens, et multa audiens. Hic autem nudum uerbum cum audissent, confestim secuti sunt, eas que a principio sunt relinquunt rursus, sed iohannem uidentes in carcerem, et ipsum recedentem ad propriam artem rursus reuntuntur. Sic itaque eos et inuenit piscantes. Ipse autem neque uolentes recedere primum prohibuit, neque recedentes in finem reliquit, sed remittens cum resiliuerunt, uenit rursus eos reacquisiturus, quod maximus modus piscationis est. Intuere autem illorum fidem et obedienciam. Etenim in mediis operationibus existentes, noscitis autem qualiter audium quid est piscatio, audientes autem eum iubentem non distulerunt, neque tardauerunt, non dixerunt reuertentes domum loquemur necessariis, sed omnia dimittentes secuti sunt, quemadmodum et heliseus in helia fecit, talem enim christus obedienciam querit a nobis, ut neque instanti tempore remoremur, etsi uehementer aliquid maxime necessarium nos festinare facit. Ideoque alium quendam aduenientem, et rogamem sepelire patrem suum, neque hoc facere dimisset, monstrans quia omnibus assecutionem suam preponere oportet. Si autem dicis quoniam maxima hec est causa, et propter hoc maxime eos ammiror, quoniam nullum nondum signum uidentes, tante magnitudini promissionis crediderunt, et omnia postposuerunt assecutioni illi. Etenim per sermones quibus piscatione capti sunt, crediderunt quoniam et alios per eos piscari potuerunt. His igitur hoc promisit, his autem qui circa iacobum et iohannem erant, nichil tale ait. Obedientia enim eorum qui preuenerant, uiam iam his preparauerat. Sed et aliter multa fuerant prius de ipso audita. Vide autem qualiter et inoppiam eorum nobis cum diligencia enigmaticice insinuat. Inuenit enim eos suentes recia sua, tanta erat paupertatis superhabundantia, ut prurupta emendarent, non potentes emere meliora. Non parua autem interim, et hec monstracio uirtutis, inoppiam ferre facile, ex iustis laboribus colligari inuicem amoris uirtute patrem habere secum et curare. Vbi itaque eos piscatus est tunc incepit presentibus eis miracula facere, per ea quae facit, ea quae a iohanne de ipso dicta fuerant certificant. Continue autem in sinagogis eorum faciebat, et hinc eos erudiens quod non est deo contrarius, et errorum predicator sed consolans patri aduenit. Choros autem faciens, non predicabat solum sed et signa ostendebat. Etenim ubique sicubi aliquid extraneum fit et paradoxum id est inopinabile, et urbanitatis cuiusdam introductio, signa facere assueuit deus, pignora sue uirtutis leges suscepturis tribuens. Sic itaque cum hominem facturus

Commented [EK10]: id est genus retis *add. super lin.*

Commented [EK11]: ad christum, sed rursus reuersi sunt ad iohannem *add. super lin.*

Commented [EK12]: in carcerem *add. super lin.*

Commented [CN13]: [fol.45rb]

Commented [EK14]: et quod *add. super lin.*

Commented [EK15]: artes *add. super lin.*

Commented [EK16]: in secunda uocatione *add. super lin.*

Commented [EK17]: nam et in prima reliquerant *add. super lin.*

Commented [CN18]: [fol.45va]

Commented [EK19]: uel sarcieti *add. super lin.*

Commented [EK20]: uel caritatis *add. super lin.*

erat, mundum creauit uniuersum, et tunc ei legem illam que in paradiso fuit dedit. Et quando noae legem **laturus** erat, rursus magna ostendit signa, per que uniuersam reelementauit creacionem. Et terribile illud pelagus in annum integrum fecit dominari. Et per que in tanta procella iustum saluauit. Et in abraam autem multa signa tribuit, puta, uictoriam que in prelio fuit, plagam que aduersus pharaonem ex periculis ereptionem. **Et** iudeis legem laturus, mirabilia illa et magna prodigia ostendit, et tunc legem dedit. Ita utique et hic excelsam illa introducturus urbanitatem, et que numquam audierunt dicturus, miraculorum demonstratione certificat que dicuntur. Quoniam enim regnum quod predicabatur, non apparebat, ab his que apparent incertum facit manifestum, et intende **moderationem** aeuangeliste. Qualiter non unumquemque nobis enarrat curatorum, set breuius uerbis copiositatem transcurrit signorum. Attulerunt enim ei ait omnes male habentes uariis egritudinibus et languoribus possessos, et demonia habentes, et lunaticos, paralyticos, et curauit eos. Set quod queritur illud est, quid utique? a nullo eorum umquam fidem exquisuit. Neque enim dixit quod postea uidetur dicens, credite quoniam possum hoc facere. Quoniam nondum sue uirtutis demonstrationem dederat, et aliter, in adueniendo et in inducendo non quamlibet ostendebat fidem. Etenim alonge eos ferebant, non utique afferentes, nisi magna de ipso sibi ipsis suasissent.

Commented [EK21]: deus *add. super lin.*

Commented [CN22]: [fol.45vb]

Commented [EK23]: quod non superflua dicit *add. super lin.*

Sequamur igitur eum et nos. Etenim egritudines multas habemus animarum, et has **antecedenter** uult curare. Propter hoc enim et illas emendat, ut has exterminet ab anima nostra. Accedemus igitur ad eum, et nichil uite huius petamus, sed peccatorum dimissionem. Etenim dat et nunc, si studuerimus. Tunc enim in syriam exiuit fama eius, nunc autem in orbem terrarum uniuersum. Et illi quidem audientes quod demones curauit, concurrerunt. Tu autem multo ampliorem experientiam et maiorem uirtutis eius accipiens non exurgis et curris? Sed illi quidem **et patriam** reliquerunt, et amicos, et cognatos. Tu autem neque domum sustines exire, ut accedas, et multo maioribus potiaris. Magis autem neque hoc a te expetimus. Sed consuetudinem perniciosam relinque solum et manens domi, et cum tuis poteris facile saluari. Nunc autem siquidem corporalem habuerimus passionem, omnia facimus et negotiamur ut eo tristante nos eruamur. Anima autem nostra male disposita **tardamus**, et remoramur? Propter hoc neque ab illis eruamur, quoniam que necessaria quidem sunt nobis inutilia estimamus, et inutilia necessaria. Et fontem autem malorum relinquentes riuos expurgare uolumus. Quoniam enim malorum que sunt in corpore, malicia anime est causa, et paraliticos triginta octo annorum et ille qui pertectum **oblatus** est, et ante hos autem cain manifestauit. Et multipliciter autem aliunde hoc utique aliquis cognoscat. Destruamus igitur malorum fontem, et omnes systemus egritudinum fluxus. Non enim paraliticum esse solum est egritudo sed et peccare. Et hoc magis est quam illud, quanto et anima corpore melior. Accedamus igitur ad eum et nunc deprecemur ut restringat animam nostram paraliticam et dissolutam, et omnia que huius uite sunt relinquentes, pro spiritualibus faciamus studium. Si autem et his adhuc coniungeris, post illam eorum habe. Neque quoniam non doles cum peccas, contempne. Set propter hoc ipsum maxime ingemisce, quoniam non sentis dolorem eorum que delinquantur. Non enim quia non mordet peccatum, contingit hoc, set quia anima delinquens insensibilis est. Intellige eos qui sentiunt propria peccata, qualiter his qui inciduntur, et uruntur, amarius plorant, quot **agunt**, quot patiuntur, et lugent et plangunt, ut liberentur a pernitiosa consciencia, quod utique non facerent, nisi ualde dolerent secundam animam. Vniuersaliter igitur non peccare melius est, post illud autem est, peccantes sentire et emendare.

Commented [CN24]: Morale XIII. quod oportet semper memoribus peccatorum habere, et intercedere pro ipsis ad deum, et de iudicio *notum in marg.*

Commented [EK25]: primum *add. super lin.*

Commented [CN26]: [fol.46ra]

Commented [CN27]: curam *add. super lin.*

Commented [EK28]: uel submissus *add. super lin.*

Commented [CN29]: [fol.46rb]

Si autem neque hoc habuerimus, qualiter deprecamur deum, et dimissionem petemus peccatorum, qui horum nullam habemus curam? Cum enim ipse qui peccasti, neque hoc ipsum quod peccasti scire uis, pro quibus delictis deum rogabis? pro his que nescis? et qualiter scis beneficii magnitudinem? Dic igitur tua peccata secundum speciem, ut discas quorum accipis ueniam. Vt ita bone mentis efficiaris circa benefactorem. Tu autem hominem quemdam exacuens, et amicos et uicinos et ianitores deprecatus, et pecunias consumis, et multos effundis sumptus, et multos consumis dies, etsi semel, etsi bis, etsi decemmilies expulerit, qui irritatus est non deses es, sed studiosus magis effectus, ampliolem supplicationem proponens, uniuersorum autem deo irritato, negligimus pigritamur, et laciuius et ebrii sumus, et omnia secundum consuetudinem agimus? Et quando ipsum poterimus propitum facere. Qualiter autem non hoc ipso magis exacuimus? Non dolere enim eos qui peccant magis quam ipsum peccare deum facit irritare, et irasci. Ideoque in ipsam iam dignum est subingredi terram, et neque hunc solem uidere, neque respirare uniuersaliter. Quoniam ita facile permutabilem dominatorem habentes, et exacuimus eum, et exacuentes neque penitentiam agimus. Quamuis ipse neque cum irascatur, odiens et auertens nos, hec facit, set ut uel ita attrahat nos ad seipsum. Si enim iniuriam passus continue beneficeret, magis utique contempneres. Vt igitur non hoc contingat, auertit paululum, ut semper te secum habeat. Confidamus itaque in eius filantrophia. Et penitentiam demonstramus sollicitam antequam instet dies, non permittens nos lucrari ex penitentia. Nunc enim in uobis hoc totum est. Tunc autem qui discernit solus, calculi efficitur dominus. Preueniamus itaque faciem eius in confessione, ploremus, lugeamus. Si enim poterimus deprecari iudicem ante prefixum tempus dimittere nobis peccata, neque ingressus est iam nobis necessitas. Quemadmodum si hoc non efficietur, publice uniuerso orbe terrarum presente nos audiet, et nulla nobis erit iam uenie spes. Nullus enim eorum qui hic non dissoluerunt peccata abiens illuc, poterit noxas que in his sunt effugere. Sed quemadmodum his qui sunt in carceribus his, cum catenis adducuntur ad iudicium, ita anime omnes cum hinc abscesserint, diuersis circumdate catenis peccatorum, ad tribunal dicuntur terribile. Etenim carcere in nullo melius presens uita disposita est. Sed quemadmodum si habitaculum illud ingredientem omnes uidemus cathenis circumdatos, ita et nunc si ab imaginatione exteriori nosmetipsos amouentes, in uniusque uitam ingressi fuerimus uniuscuiusque animam uidebimus ferro difficilioribus uinculis circumdatam, et maxime si indiuitum ingredieris animas. Quanto enim utique amplioribus fuerint circum amicti, tanto magis sunt ligati. Quemadmodum igitur incarcerationum cum uideris, et in dorso et in manibus multociens autem et in pedibus ferro ligatum, propterea maxime misereris, ita et diuitem, cum inspexeris decemmilibus circum amictum. Non propter hec diuitem, sed propter hec ipsa miserum esse estima. Cum his enim uinculis et carceris custodem habes difficilem, id est pernitiosum desiderium pecuniarum. Quod non dimittit hunc excedere carcerem. Sed decemmille construit compedes, et custodes, et ianuas, et uectes, et in interiore ipsum immitens carcerem, suadet et delectari uinculis his, ut neque spem quandam ereptionis inueniat inminencium malorum. Etsi reuelabis in mente tua animam illius, non ligatam solum, sed et aridam et sordidam et pedicorum plenam uidebis. In nullo enim illis meliores sunt lasciuie uoluptates, sed coinquinatiores. Et magis corpori eorum nocent, simul cum anima, et hunc et illi, decemmille inducunt egritudinum fontes. Propter hec utique omnia redemptorem animarum nostrarum deprecemur, ut et uincula rescindat, et difficilem hunc nostrum custodem abiciat, et ab honore ferrearum illarum catenarum eripiens, penna leuiorem nobis faciat sensum.

Commented [CN30]: [fol.46va]

Commented [EK31]: id est sententie add. super lin.

Commented [EK32]: uel ingressionis iudicii add. super lin.

Commented [EK33]: id est carcerem add. super lin.

Commented [EK34]: cuius add. super lin.

Commented [CN35]: [fol.46vb]

Commented [EK36]: imaginabilis add. super lin.

Deprecantes autem eum, et ea que a nobisipsis sunt offeramus, id est studium et mentem et desiderium bonum. Ita enim poterimus et in breui tempore adtentibus nos liberari malis, et discere in quibus fuimus prius, et decenti frui libertate qua omnes nos potiamur, gratia et misericordia domini nostri ihesu christi cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [CN37]: concilium *add. super lin.*